



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Admonitiones Abbatis Athanasij, & mirabilis eius visio. Capvt. CXXX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

li frater: Volo tibi dicere cogitationem: dicebat & ipse illi leni voce: Veni ad gradus columnarum ibarque ipse ad aliam columnarum partem & ita loquebantur mutuo, Stylita quidem superius stante, fratre autem inferius. Cæterorum verò, qui assistebant, nullus ea, quæ dicebantur, audire poterat.

DICEBAT & hoc Abbas Athenogens de eodem Stylita, quod duo seculares se mutuo valde diligentes, pergebant ad eum multis annis ambo simul, & nunquam vnus sine altero proficiscentes. Quadam ergo die venit, nesciente socio suo, alter ad illum. Cùmque plures horas pulsaret ianuam, noluit illi senex aperire, ita vt ille rædio deuictus reuerteretur. Reuertenti autem occurrit amicus eius, pergens & ipse ad Stylitem, rursusque re-duxit eum secum, vt ambo ingrederentur ad senem: Cùm ergo pulsarent ianuam, mandauit senex, vt qui posterior venerat, ingrederetur solus. Ingressusque posterior cepit rogare senem, vt & alius introiret. Senex autem dixit ei, se non posse illum suscipere. Perseueranti verò, & per multam horam deprecanti ait senex: Deus illum auersatur, fili, & ego illum suscipere non possum. Cùmq; ad propria rediissent, post duos dies ille defunctus est.

Admonitiones Abbatis Athanasij, & mirabilis eius visio.

CAPVT CXXX.

Dicebat idem Abbas Athanasius: Patres nostri continentiam, & paupertatem, ac nuditatem rerum omnium vsque ad mortem seruauerunt; nos autem ventres nostros &

Ec 2
crumē-

cruminas dilatauimus. Dixit iterum senex: Sub patribus nostris in studio erat distractiones animi vitare: nostris vero temporibus olla obtinuit, & opus manuum.

NARRAVIT nobis & istud Abbas Athanasius de se: Venit, inquit, mihi aliquando cogitatio, dicens: Quid putas erit certantibus, & non certantibus? Et cum factus essem in extasi, venit ad me quidam dicens mihi: Sequere me. Adduxitq; me in quendam locum plenum luminis, & gloriae, statuitq; me iuxta vnam ianam, cuius species enarrari non potest. Audiebamus autem interius quasi multitudinem innumerabilem laudantū Deum. Cūq; pulsaremus, audiuit quispiam intus, & dixit: Quid vultis? Auditor meus: Ingredi volumus. Respondit ille: Nō huc ingredietur quispiam in negligentia degens. Sed si intrare vultis, abite, certate, nihil estimantes vanitates seculi.

1. Vide quae virtutes priscos monachos commendabiles redderent.
2. Aduerte, haeretic, qui nullas in hac vita sustinet vis pugnas, & labores regnum caelorum non parat nisi legitime certantibus.

*Vita Abbatis Zachari Sanctae
Sion.*

C A P V T. CXXXI.

NARRAVIT nobis Procopius Scholasticus ^{pro}phyreonites de Abbate Zachæo, ^{dicens:} Duo filij mei in Caesarea degebant. Facta est autem in Caesarea magna mortalitas, egoque affligabar propter filios meos, ne moreretur: & ignorabam, quid agerem. Dicebam enim in me ipso: Si mittam, & accipiam eos inde, iram